

Explico. Cum actus intellectus sit intelligibilis et virtuti cognoscitivae maxime praesens, non eget aliquo informari ad hoc ut intelligatur, sed ipse quodammodo se habet ad modum formae, quatenus eadem realitas actus sit et id quod intelligitur, et id quo intelligitur. Hoc autem locum habet in omnibus, quae cognoscuntur per essentiam, et non per similitudinem, ita ut praepositio *per* indicet medium cognitionis, nempe quo res cognoscitur. Sic pro intellectu angelico se habet essentia relate ad cognitionem suipsius, et ideo dicitur Angelus cognoscere suam essentiam per seipsam. Quare, scite admodum simili difficultati sic occurrit Aquinas: « Cum mens intelligit seipsam, ipsa mens non est forma mentis, quia nihil est forma suipsius; sed se habet per modum formae, in quantum ad se sua actio terminatur, qua seipsam cognoscit » (1).

Oppon. 6.^o In his quae sunt separata a materia idem est id quod intelligit, et quo intelligitur, ut ait Philosophus (*De Anima*, lib. III, text. 15). Atqui anima est immaterialis. Ergo anima intelligit se per suam essentiam.

Resp. Dist. mai. In his quae sunt omnino separata a materia, *Conc.* In his quae licet non comprehendantur a materia, tamen sunt actus materiae, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

Explico. Responso patet ex solutione primae difficultatis. Verbum autem Philosophi intelligendum est de intellectu, qui est omnino separatus ab organo, ideoque factus in actu per speciem a rebus materialibus abstractam intelligit se immediate (2).

(1) *QQ. DD. De ver. q. 10, a. 8 ad 16.*

(2) *Cf. S. THOM. QQ. DD. De ver. q. 10, a. 8 ad 3 in contrarium.*

QUAESTIO IV.

*De operatione intellectiva seu de origine et natura
nostrarum idearum.*

CONTINUATIO RERUM. Doctrina a nobis proxime explicata de proportionato obiecto, seu de proprio intelligibili intellectus nostri, quod facultatem nostram intellectionem rite discernit, tum a potentia sensitiva, tum ab intellectu Angelorum, viam parat ad aliam quaestionem, quae versatur circa ortum, causas, et naturam intellectionis nostrae. Cum enim intellectus noster intrinsece immutari debeat, ut de intelligente in potentia fiat intelligens actu, inquirendum iure venit, quanam sint causae efficientes et quanam sit natura illius formae actuantis intellectum ad hoc ut ipse actu obiecta intelligibilia cognoscat. Sic per hanc inquisitionem, quantum rei difficultas patitur, comperita nobis erit natura cognitionis nostrae intellectivae. Forma quae intellectum determinat ad actu intelligendum, dicitur species intelligibilis seu idea; unde quaestio de origine intellectionis nostrae, seu de causis, quae in nostro intellectu producant formam vel speciem, per quam actu intelligit, a recentibus nuncupari solet de origine idearum.

Quae quaestio cum maximi momenti sit, utpote nobilissimam operationem hominis attingens, maximaeque simul difficultatis, propter similitudinem cognitionis nostrae intellectivae cum cognitione sensitiva, et cum intellectione Angelorum; nil mirum si ad eam solvendam omnium temporum philosophi studium ingeniumque contulerint, et in ea enucleanda diversas admodum oppositasque sententias amplexati sint. Nos ergo in hac perabscondita difficultique controversia, ut ordine ac via procedamus, primum determinabimus naturam proprietatesque ideae; deinde varia philosophorum placita de proposito problemate expendemus; et demum doctrinam peripatetico-scholasticam proponemus ac vindicabimus.

ARTICULUS I.

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS IDEAE (1).

QUAESTIONIS PRAESTANTIA. Quaestio quae versatur circa naturam, proprietates, et munera ideae est tantae excellentiae ac nobilitatis, ut S. Augustinus affirmare non dubitaverit, sapientis nomen

(1) De hac materia disserit S. THOM. 1 p. q. 15; *QQ. DD. De ver. q. 3; 1 Sent. Dist. 36, q. 2, a. 2 et 3.*

minime promereri, qui ideas ignorat. Ita enim loquitur praestantissimus Doctor: « Ideas Plato primus appellasse perhibetur; non tamen si hoc nomen antequam ipse institueret, non erat, ideo vel res ipsae non erant, quas ideas vocavit, vel a nullo erant intellectae. Sed alio fortasse et alio nomine ab aliis atque aliis vocatae sunt. . . Non enim est verisimile, sapientes aut nullos fuisse ante Platonem, aut istas, quas Plato, ut dictum est, ideas vocat, quaecumque res sint, non intellexisse. Siquidem tanta in eis vis constituitur, ut, nisi his intellectis, sapiens esse nemo possit » (1).

Quid idea? Quam Graeci *ideam* dicunt, Latini appellant tum *formam*, tum *speciem* (2). Secundum rem vero idea, iuxta S. Augustinum, defini potest: *Ratio seu similitudo rei in intellectu existens, per quam mens ad rerum cognitionem pervenit*. Porro intellectualis cognitio duplex est; speculativa alia, practica alia. Prima sistit in simplici veritatis contemplatione; secunda ulterius progreditur, et ordinat ad operationem verum, quod cognoscit. Huiusmodi rerum delectus sic notatur a S. Thoma: « Intellectus speculativus est, qui quod apprehendit, non ordinat ad opus, sed ad simplicem veritatis considerationem; practicus vero intellectus dicitur, qui hoc quod apprehendit, ordinat ad opus. Et hoc est quod Philosophus dicit (*De Anima*, lib. III, text. 49), quod speculativus differt a practico, fine; unde et a fine denominatur uterque; hic quidem speculativus, ille vero practicus, idest operativus » (3).

Cognitio autem tum speculativa tum practica iterum duplex est; nam cognitio practica quandoque dicitur practica actu, quandoque virtute; prout vel actu ordinatur ad opus, vel solummodo ordinabilis est ad operationem, tametsi de facto non ordinetur. Sic etiam cognitio speculativa quandoque versatur circa res, quae nequeunt produci per scientiam cognoscentis, uti sunt omnia opera naturae a nobis cognita: quandoque res cognita, quae a cognoscente effici potest, non consideratur ut operabilis, separando nempe per intellectum, quae a rebus non sunt secundum esse separabilia; prout quando artifex in re operabilis, puta in domo, investigat eius passiones, genus, differentias, quae omnia in re ipsa inveniuntur indistincte secundum esse (4).

Cum ergo idea ad utrumque cognitionis genus ordinem dicat, si ad speculativum refertur, dici poterit: *Intentionalis similitudo seu representatio rei quae cognoscitur*; vel, aliis verbis: *Actus seu forma, quae mentem ad hanc vel illam rem intentionaliter exprimendam determinat*.

(1) Lib. 83 *quaestionum*, q. 46.

(2) Cf. Cic. *Quaest. Tuscul.* lib. I, cap. XXIV.

(3) I p. q. 79, a. 11.

(4) Cf. S. THOM. *QQ. DD. De ver.* q. 3, a. 3.

Quod si ad practicam cognitionem referatur, tunc describi poterit: *Exemplar quoddam in mente artificis conceptum, ad cuius imitationem aliquid efficitur*. Rem sic paucis perstringit Doctor Angelicus: « Idea graece, latine *forma* dicitur. Unde per ideas intelliguntur formae aliarum rerum praeter ipsas existentes. Forma autem alicuius rei praeter ipsam existens, ad duo esse potest; vel ut sit exemplar eius cuius dicitur forma, vel ut sit principium cognitionis ipsius, secundum quod formae cognoscibilem dicuntur esse in cognoscente » (1). Quare ex duobus, quae Plato docuit de ideis exemplaribus, nimirum 1) eas esse formas a rebus distinctas, et 2) esse in seipsis subsistentes, Aristoteles primum amplexus est utpote verissimum; secundum autem repudiavit utpote a veritate vehementer alienum.

Idea pressius spectat ad intellectum practicum. Tametsi idea utramque complectatur cognitionem, tamen pressius usurpatur cum ad practicam, quam cum ad speculativam cognitionem significandam adhibetur. Huius rei ratio exinde repetenda est, quod forma, cui graece respondet idea, semper causalitatem quandam denotat, quae invenitur in causa exemplari respectu rei, quae ad eius similitudinem producitur; non item in principio determinante intellectum ad rem cognoscendam. Quod sic declaratur a S. Thoma: « Forma semper notat habitudinem causae. Est enim forma quodammodo causa eius, quod secundum ipsam formatur: sive formatio fiat per modum inhaerentiae, sicut in formis intrinsicis, sive per modum imitationis, sicut in formis exemplaribus. . . Si ergo loquamur de idea secundum propriam nominis rationem, sic non extendit se, nisi ad illam scientiam, secundum quam aliquid formari potest. . . Sed tamen si ideam communiter appellemus similitudinem vel rationem, sic idea etiam ad speculativam cognitionem pure pertinere potest. Vel magis proprie dicamus, quod idea respicit cognitionem practicam actu vel virtute; similitudo autem et ratio tam speculativam, quam practicam » (2).

Species intelligibilis. Cum ideae nomen sumi possit, vel ut est principium effectiois rerum, vel ut est cognoscendi principium, Doctores Scholastici ad pracludendum cuilibet aequivocationi aditum, usi sunt potius nomine *speciei intelligibilis*, quam *ideae*, ut indicarent rationem rei seu similitudinem obiecti, quae intellectum in ordine speculativo informat et determinat ad cognoscendum, licet interdum etiam nomen *ideae* ad idem significandum adhibuerant (3). Nos, posthabita verborum disputatione, et declarata re, quae in controversiam venit, de speculativa cognitione acturi utamur nomine *ideae* pro specie intelligibili. Iam vero idea seu species intelligibilis spectari

(1) I p. q. 15, a. 1.

(2) *QQ. DD. De ver.* q. 3, a. 3.

(3) Cf. S. THOM. *QQ. DD. De ver.* q. 2, a. 8 ad 3.

potest in actu primo et in actu secundo, nempe vel ut est principium actus intelligendi et proprio nomine dici solet *species impressa*, vel ut est terminus intellectionis, et nuncupatur *species expressa, verbum, conceptus mentalis*.

Quid cognitio mediata et immediata? Ut rite determinetur id de quo ambigitur, notandum est, cognitionem mediatam accipi posse bifariam; idest: 1) prout pertinet ad ratiocinium, in quo habetur discursus seu transitus mentis ex veritate nota ad aliam ignotam, quae in prima continetur, et per illam cognoscitur tanquam per medium obiectivum prius notum. Haec cognitio mediata reperiri potest in solo homine, qui ratiocinando acquirit scientiam, ideoque dicitur animal rationale. 2) Cognitio mediata pertinere potest ad intellectum vel simpliciter apprehendentem vel ad intellectum iudicantem citra omnem mentis discursum; et tunc habetur, quando unum cognoscitur in alio, tanquam in obiecto cognito ducente in cognitionem prioris; vel quando intellectus informatus specie alicuius rei, pervenit ad cognitionem alterius, quae cum prima similitudinem habet.

Haec doctrina subtiliter enodatur ab Angelico, cuius ratio sic proponi potest. Omnis cognitio est per assimilationem cognoscentis ad cognitum. Porro cognoscens ad cognitum potest dupliciter assimilari; nempe vel recipiendo in se immediate a cognito similitudinem, vel quia assimilatur alicui, quod est eius simile; ideoque cognitio fit vel recipiendo speciem immediate ab obiecto cognito, vel ab alio quod cum illo similitudinem habet. Prima cognitio est immediata; secunda rite dici potest mediata. Res illustratur exemplo ducto a visione corporea; nam possumus per visum cognoscere Socratem vel eo quod virtus visiva determinatur per speciem procedentem a Socrate immediate et in se viso, vel quod determinatur per speciem causatam ab imagine Socratis quae est in speculo vel in tabula, et sic prima visio erit immediata, altera erit mediata (1). Eandem doctrinam adhuc luculentius versat idem Aquinas distinguens triplex medium cognitionis, nimirum medium *sub quo*, quod est lumen intellectuale; medium *quo*, quod est species intelligibilis; medium *in quo*, quod est aliquid cognitum, per quod in cognitionem alterius devenimus, sicut in uno similibus aliud cognoscitur. Primum et secundum non faciunt cognitionem mediatam, sed tertium cognitionem efficit mediatam (2).

Idea per se non facit cognitionem mediatam. Idea sive sumatur in actu primo sive in actu secundo, non efficit *per se* cognitionem mediatam, cum sit signum, formale obiecti faciens unum cum intellectu per ipsam actuato, idest aliquid quo intellectus intelligit, et non aliquid in quod fertur acies intellectus, tanquam in

(1) Cf. S. ТНОМ. *QQ. DD. De ver. q. 8, a. 5*; cf. etiam 1 p. q. 56, a. 3.

(2) Cf. S. ТНОМ. *Quodlib. 7, q. 1, a. 1.*

obiectum intelligibile. Diximus *per se*, quia idea potest esse obiectum intelligibile cognitionis reflexae, qua mens suam operationem speculatur, et tunc habetur cognitio mediata. Insuper species alicuius rei potest causari in nostro intellectu non ab ipsa re, sed ab alia, quae cum illa similitudinem quamdam gerit. Sic ex essentia rerum materialium causatur idea seu species, qua intellectus substantias immateriales quodammodo cognoscit. Tunc species illa duces intellectum in cognitionem rerum immaterialium efficit cognitionem mediatam, cum immediate non cognoscamus rem spirituales, sed potius eius umbram, ut cum S. Thoma loquamur, idest rem materialem, quae cum substantia spirituali similitudinem habet vel genericam vel saltem analogicam, ita ut intellectus informatus specie quidditatis materialis assimiletur substantiae spirituali in eo, in quo duplex illa substantia similis est. Contra ea, ut ait S. Thomas: « Quando aliquid cognoscitur immediate per speciem suam, oportet quod species illa repraesentet rem illam secundum completum esse suae speciei, alias non diceretur res illa immediate videri, sed quaedam umbra eius » (1).

Idea prout informat intellectum et prout repraesentat obiectum.

Idea seu species intelligibilis considerari potest sub duplici respectu plane diverso; nimirum *formaliter, subjective, entitative*, vel *repraesentative, obiective, terminative*. Siquidem cum natura intellectivae cognitionis in eo sita sit, ut cognoscens intentionaliter res cognitae in se exprimat easque quodammodo suas faciat, ipsis largiendo quamdam intentionalem subsistentiam in suo intellectu, necesse est ut facultas intellectiva cognoscentis perficiatur forma quadam, quae res extra ipsum positas repraesentare valeat. Iam vero haec forma minime confundi potest cum ea, quae in rebus habet esse physicum et reale; secus intellectus ea informatus, realiter converteretur in rerum omnium naturam ac speciem. Ergo haec forma aliud esse nequit, nisi similitudo quaedam intentionalis rerum, habens mentalem existentiam in intellectu, qua intellectus informatus possit res omnes cognoscendo in se exprimere, et quodammodo suas facere. Huiusmodi forma, quae actu facultatem electricam et simul repraesentat res extra intellectum positas, cum sit earum similitudo et imago, ea est, quam nos nomine *ideae* seu speciei intelligibilis nuncupamus. Audi S. Thomam: « Cognoscentia a non cognoscentibus in hoc distinguuntur, quia non cognoscentia nihil habent nisi formam suam tantum, sed cognoscentia natum est habere formam etiam alterius rei; nam species cognitae est in cognoscente. Unde manifestum est quod natura rei non cognoscentis est magis coarctata et limitata; natura autem rerum cognoscentium habet maiorem amplitudinem et extensionem; propter

(1) *Quodlib. loc. cit.*

quod dicit Philosophus (*De Anima*, lib. III, text. 77), quod anima est quodammodo omnia » (1).

Cum ergo haec forma intellectualis seu idea actuet intellectum, et repraesentet res ab intellectu separatas, consequenter ipsa spectari potest vel in sua realitate et entitate, prout est forma informans, vel in sua virtute repraesentativa, prout est rerum similitudo; nimirum vel per ordinem ad intellectum, cuius est forma, vel per ordinem ad rem, cuius est imago. Iuxta duplicem acceptionem quamplures easque maximas differentias sibi vindicat, per quas immensum discrimen certaque relatio adstruitur inter ordinem subiectivum et obiectivum, inter ideam et obiectum, inter formam repraesentativam, et rem repraesentatam; et sic multiplicibus oppositisque erroribus occurritur.

Siquidem idea seu species intelligibilis, si spectetur in sua realitate prout est forma informans nostrum intellectum, est semper res positiva, singularis, spiritualis, finita, actus et forma accidentalis. Quod si spectetur obiective, quandoque repraesentat substantiam, quandoque accidens, quandoque rem materialem, quandoque rem immaterialem, quandoque rem finitam, quandoque rem infinitam, quandoque demum rem positivam, quandoque rei negationem et privationem. Quare cum ipsa non sit substantia, substantiam repraesentat, cum non sit materialis, materialia exprimit, cum non sit divina, Deum manifestat. Natura ergo et perfectio ideae repetenda est ab intellectu in quo est, cum omne accidens sequatur naturam subiecti in quo est et per quod esse habet; repraesentatio autem dimittenda est ex obiectis expressis ad quae relationem dicit. Digna cedro sunt haec S. Thomae verba: « Forma quae est in intellectu habet respectum duplicem: unum ad rem cuius est, aliud ad id in quo est. Ex primo autem respectu non dicitur *aliquis*, sed *alicuius* tantum. Non enim materialium est forma materialis, nec sensibilibus est forma sensibilis. Sed secundum alium respectum *aliquis* dicitur, et sequitur modum eius in quo est » (2).

Multiplex philosophorum error arguitur. Accuratus rerum detectus, quem in loco proximo citato et alibi passim expressit Doctor Angelicus, clare patefacit vanitatem illorum philosophorum, qui rati sunt, ideam esse entitatem quamdam universalem, eo quod essentias universales repraesentat, quemadmodum placuit Avicennae, Averro, et nostris diebus Victori Cousin, qui propterea intellectum quemdam separatam, communem, et universalem commenti sunt. Ex eodem fonte manavit veterum Materialistarum error, qui, ex eo quod ideae nostrae materialia repraesentant, animam humanam materialem descriperunt. Inde etiam ortum duxit Ontologorum dogma permiscensium ideam cum Deo, quia idea est Dei repraesentativa. Similiter hinc

(1) 1 p. q. 14, a. 1.

(2) *QQ. DD. De ver. q. 3, a. 2 ad 5.*

repetenda sunt Rationalistarum et Transcendentalium somnia, qui male confundentes naturam ideae cum natura obiecti ab idea repraesentati, statuerunt, subiectum cogitans esse unam eandemque rem cum obiecto cognito; et sic varias pantheismi formas tum subiectivi tum obiectivi in vulgus disseminarunt, secundum quod censuerunt, evolutionem incipiendam esse, vel a subiecto, vel ab obiecto, vel ab utroque ad unum redacto, quemadmodum placuit vel Fichtio, vel Schellingio, vel demum Heghelio.

Quaestio solvenda proponitur. Cum nomine ideae seu speciei intelligibilis significetur, uti monuimus, forma quaedam intellectum informans, quae ipsum determinat ad hanc vel illam rem intentionaliter exprimentam, cumque obiectum proprium, directum, et proportionatum intellectus nostri sit quidditas rei materialis abstracta a principiis individuantibus ideoque universalis; quaestio de origine idearum eo spectat, ut determinetur quaenam sint causae, quae in nostro intellectu producunt has ideas seu species, quae sunt similitudines quidditatis universalis rerum materialium.

Triplex problematis solutio. In proposita quaestione enodanda, tanta est opinionum turba atque insolentia, ut pene infinitum esset omnium philosophorum diversas enumerare sententias. Nihilominus perspicuitatis causa ad tres classes revocari possunt omnium placita. Sunt enim qui omnem determinationem intellectus ad hoc ut actu intelligat, ideoque originem idearum unice repetendam esse ducunt a rebus materialibus, quae tamquam causae adaequatae et sufficientes intellectum movent ad operationem intellectivam. Alii ex opposito opinantur, cognitionem intellectivam procedere ab ipsa intellectu activitate, independentem omnino a rebus materialibus. Tertii demum decernunt, causam adaequatam et proportionatam, quae determinat intellectum ad propriam operationem intellectivam, esse reponendam simul in virtute activa intellectus, et in rebus materialibus extra ipsum existentibus. Primi dicuntur Empirici vel Sensistae; secundi vocantur Rationalistae; tertii appellantur Peripatetico-Scholastici. Antequam ergo ad doctrinam peripatetico-scholasticam vindicandam accedamus, quae unice scientificam absolutamque explicationem propositae quaestionis exhibet, refellenda a nobis sunt praecipua saltem et cursim tum Empiristarum tum Rationalistarum placita, quae mancam pravamque problematis solutionem exhibent.

SCHOLION. Sententiae philosophorum de natura hominis, et de operatione intellectiva comparantur. Si quis attente cogitateque praesentem quaestionem consideret, videbit profecto, omnes errores a philosophis traditos circa nostram operationem intellectivam geminos fuisse erroribus, quos circa hominis naturam unionemque animae cum corpore iidem professi fuerant. Siquidem veteres illi philo-

sophi, qui docuerunt, animam humanam non esse a corpore distinctam, utpote corpus subtilissimum, in explicanda nostra cognitione, ad empirismum vel materialisticum vel sensitivum se contulerunt, uti Democritus, Empedocles, Heraclitus, Cratylus, alique, qui docuerunt, intellectum esse quemdam sensum, et intellectuales conceptus non differre a sensibus perceptionibus; et sic scientiam omnem radicibus sustulerunt, hominemque animantium brutorum similem arbitrati sunt (1).

Ex opposito Platonici, qui magistri sui dogmata amplexati docuerunt, hominem non esse substantiam compositam ex anima et corpore, sed potius esse animam utentem corpore, cognitionem nostram explicaverunt omnino independentem a causis extrinsecis, nempe a rebus materialibus et extra nos existentibus. Sic ad diversa et multiplicia Rationalistarum systemata concinnanda progressi sunt, sublata omni obiectiva veritate cognitionis nostrae, quae, iuxta Platonis placita, non res sed ideas rerum percipit.

Iam vero diversa haec veterum philosophorum placita a veritate utrinque aberrantia, quae ab Aristotele primum, et subinde a Doctoribus Scholasticis inviecte et luculenter refutata fuerant, a recentibus philosophiae cartesianae sectatoribus iterum et pene iisdem verbis revocata sunt. Siquidem negata a Cartesio substantiali unione inter animam intellectivam et corpus, Cartesiani in duas sectas divisi sunt. Quidam enim illud Cartesii magistri sui: *Cogito, ergo sum*, revocantes ad sensum, omnem nostram cognitionem intellectivam per sensationem explicarunt, et sic in castris vel Sensistarum vel Materialistarum stipendia mereri aggressi sunt. Alii ex adverso iisdem Cartesii erroribus imbuti circa unionem animae cum corpore, ut a sensismo se expedirent, illud Cartesii: *Cogito, ergo sum*, de intellectiva perceptione interpretantes, statuerunt, essentiam animae in cogitatione esse rependam, et consequenter vel omnem vel aliquam scientiam in anima ingenitam et ab ipsa natura in ea consignatam professi sunt. Haec Cartesianorum doctrina ad severas dialecticae leges evoluta, eo a quibusdam perducta fuit, ut docerent, subiectum et obiectum cognitionis esse unam eandemque rem, atque ita in pantheismum vel subiectivum Fichtii vel obiectivum Schellingii prolapsi sunt.

Quam ad rem Cartesiani postquam animam intellectivam separaverunt secundum esse a corpore, de propria et specifica operatione hominis, nempe de intellectione decernentes, divisi sunt in duas sectas, nempe Sensistarum et Rationalistarum, qui per duas diversas vias ad eundem terminum, nempe ad totalem subversionem nostrae cognitionis intellectivae perveniunt, male confundentes intellectum cum sensu. Unde quidam tum intellectui tum sensui organum attribunt; quidam ex adverso tum intellectum tum sensum ab organo separatum

(1) Cf. ARIST. *Metaph.* lib. IV, text. 22, et S. THOM. 1 p. q. 84, a. 1.

profiterentur; utriusque tandem verae philosophiae cladem perniciemque afferent, et per falsas cognitionis intellectivae explicationes ad absolutum scepticismum, idest ad negationem omnis scientiae et veritatis progrediuntur.

ARTICULUS II.

DE PLACITIS EMPIRICORUM CIRCA ORTUM INTELLECTIONIS NOSTRAE.

QUID EMPIRICI? Empirici vocantur philosophi illi, qui docent, omnem nostram cognitionem ex sensibus esse derivandam, ideoque sensum cum intellectu confundunt. Hi vero in duas classes disperitiuntur; nam quidam eorum animam cum corpore unum idemque esse asserunt; alii contra animam a corpore distinctam ponunt. Quocirca empirismus duplex est, nempe materialisticus et sensitivus.

Empirismus materialisticus. Hoc systema propugnatum fuit ab omnibus veteribus Materialistis, qui animam esse corpus professi sunt, uti Empedocles, Democritus, Leucippus, Epicurus, Aristoxenus, alique (1). Dupliciter veteres in natura animae assignanda peccaverunt, uti testis est Aristoteles. Quidam enim cum Democrito docuerunt, animam per se moveri, ideoque esse corpus. Alii contra ex eo quod anima cognoscit corpora, opinati sunt cum Empedocle, animam esse compositam ex quatuor elementis, quia simile simili cognoscitur (2). His veterum erroribus finitima sunt recentiorum Materialistarum deliria, quorum familiam ducit Hobbesius. Recentes quippe non secus ac veteres animam revocant ad corpus, vel ad physicas chemicasque corporis vires, vel ad harmoniam partiumque temperamentum, uti Tolland, La-Mettrie, Tyndall, Moleschott. Posita animae materialitate, ad explicandam eius cognitionem veteres cum Democrito rati sunt, ex corporibus iugiter divelli superficies quasdam tenuissimas, seu idola, quae per interpositum aërem traiecta percellerent sensus et ad cognitionem determinarent. In his deliramentis profligandis non est cur immoremur, sed potius in medium iterum proferemus verba S. Augustini, qui postquam acute et festive has insanias insectatus sit, suam refutationem concludit inquis: « Sed iam pudet me ista refellere, cum eos non puduerit ista sentire. Cum vero ausi sint etiam defendere, non iam eorum, sed ipsius generis humani me pudet, cuius aures haec ferre potuerunt » (3).

(1) Cf. ARIST. *De Anima*, lib. I; cf. etiam CIC. *Quaest. Tuscul.* lib. I, cap. IX et X.

(2) Cf. ARIST. loc. cit.

(3) *Epist.* 118, cap. 4, n. 31.